



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 99. Cardinales pro eligendo novo Papa Conclave ingressi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII.
A. C. 1700.

§. XCIX.

Cardinales pro eligendo novo Pontifice Conclave ingressi.

*Vita Cle-
men. XI.
in Bull.
magn.*

Peractis de more funebribus, duodecima post Innocentii Papæ obitum die seu nona Octobris inchoata sunt pro more in Vaticano ad successorem deligendum comitia: Intererant initio nonnisi triginta octo Cardinales, quibus altera die Cardinalis Bullionius S. Collegii Decanus, pluresque alii accessere, quos inter tamen tot Viri meritum præstantia longe clarissimi reperiabantur, ut quis alteri præferendus esset, aliquamdiu Cardinales dubii hærent, unde contigit, ut jamjam quadragesima tertia dies ab inchoatis comitiis præterfluxisset, quin adhuc Cardinales suis suffragiis in unum conspirarent: Postquam vero nocte, quæ diem vigesimam tertiam Novembris præcefferat, nuntium de obitu Caroli Hispani Regis receperant, in hac rerum vicissitudine nil magis, quam supremum Nauclerum prudentia, & animi magnitudine inclytum, Ecclesiæ navi necessarium duxerunt, quapropter talis Viri electionem maturantes in Joannem Franciscum Cardinalem Albanum oculos animumque coniecere:

An-

Annuebant suis quoque suffragiis cuncti Sæc. XVII.
 Cardinales, quos Zelantes vocant, his A. C. 1700.
 pariter accessere alii Ottobono Cardi-
 nali adhærentes: altero igitur die jam-
 jam in proxima scrutatione præfatus
 Cardinalis Albanus quadraginta suffra-
 gia solus tulerat: Huic ergo ceteri
 quoque Purpurati summa ac plane in-
 sueta animorum studiorumque consen-
 sione supremam Ecclesiæ dignitatem
 offerunt, ac ceteris æmulis, etsi
 ætate multum superiores essent, præ-
 termisissis eundem in Papam procla-
 mant, quamvis quinquagesimum pri-
 mum ætatis suæ annum vix excessisset,
 præteritisque temporibus senectus præ-
 validum suffragium in Pontificum ele-
 ctionibus esse consuevisset.

§. C.

*Joannes Franciscus Cardinalis Al-
 banus in Papam electus, & Cle-
 mens XI. nominatus.*

Communi Purpuratorum consensu Misson. Itin.
 peracta electione, solus Cardinalis append.
 Albanus se tanto honore indignissimum, pag. 379.
 tantoque oneri imparem reputabat: Act. Lippf.
 quocirca fufis largiter lacrimis copio- Epist. fam.
 sisque precibus Tiaram Pontificiam Zalusky
 in digniorem se transferri non modo ro- tom. 2.
 gabat, sed & præcipiebat, utque Pur-
 pura-